



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus VI. Salutationes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

debere esse impedimentum, quod accessum salutis impediatur. Sylveira in Matth. hic.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hæc eadem, quæ nutritur, morâ roboratur. S. Gregor. mor. l. 21. 7.

Si illi, qui in mari navigant, sæviente tempestate merces negligunt; & propriis manibus onera in mare projiciunt, & fortunis vitam anteponunt; ac, nè navis pondere oppressa submergatur, eam sublevant; & pretiosissima quæque vel in profundum jaciunt: cur non etiam nos, propter vitam præstantiorem, ea despiciamus, quæ animam in profundum detrahunt? cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? S. Nilus lib. affect.

## Miscellanea.

*Ingrederere tu, & omnis domus tua &c.*  
Gen. 7. 1. Nam, licet multum à virtute iusti illius abfuerint, alieni tamen erant à gravioribus sui sæculi peccatis. Alias quoque ob duas causas salute potiti sunt. Una in honorem iusti: consuetudo enim misericordis Dei est, honorem hunc dare servis suis; ut propter eos salventur & alii &c. S. Chrysof. hom. 24. in Gen.

*Novit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.* Pf. 1. 6. Quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est; non agnoscere, damnare est. Sanct. August. in Pf. 141.

## TITULUS VI.

## SALUTATIONES.

**H**AVE. Gen. 4. 1. Sept. *vita*. Ex Hebræo have, id est, *vive*; quæ vox est salutantis. Pro have Latini dicunt ave, Cornelius hic.

*Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth &c.* Luc. 1. 41. Charitas proximi salutationibus, & aliis charitativis locutionibus, semper fovenda est. Unde angelis salutavit Mariam; Maria salutavit Elisabeth; Filius Mariæ salutavit Marias euntes de sepulchro, dicens illis: *avete* Matth. 28. 9. Væ eis, qui, propter odium, salutationem proximo negant. Væ & illis, qui dolose proximum salutant; sicut Judas, cum dixit: *ave Rabbi*. Sanct. Bonaventura spec. B. V. c. 4.

In orientali Ecclesia, ubi quis per dies Paschales alteri sit obvisus, pro salutatione dicit: Christus surrexit à mortuis; salutatus responderet verè surrexit Dominus. Isidor. Clar. Or. 21. lib. 1.

Totâ Paschali septimanâ æquum foret, hoc pacto invicem salutaremus: surrexit Dominus; & salutatus responderet: Deo gratias. Beletus rat. offic. div. c. 116.

Quorundam salutato Sanctorum hæc fuit; ut, cum sibi occurrerent, prior salutando diceret: moriendum est; alter responderet: nescimus quando. Cornelius in Gen. 3. 3.

## TITULUS VII.

## SANCTI.

§. I.

Etymon.

**S**ANCTUM *sanctorum est*. Levit. 6. 25. Sanctum à *sancto* venit. Sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ: unde sanctum dicitur, quasi sanguine consecratum. Cornelius hic.

Sanctus Psalm. 10. 5. Id est, sanguine tinctus. Hugo Card. in Psalm. 10.

*Cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Psalm. 82. 4. Symmachus, pro *sanctis tuis contra occultum tuum*. Aquila: *contra absconditum*. Hebr. *adversus absconditos tuos*. Rectè Fideles, Dei dicuntur absconditi, qui sub umbra alarum suarum protegit eos.

Et quia *vita nostra abscondita est*.

Coloss. 3. 3. Bellarminus hic.

§. II.

Figure, &amp; Symbola.

Ex Veteri.

**P**LANTAVIT *Dominus DEUS Paradisum voluptatis*. Gen. 2. 8. Est Paradisus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hic.

*Numera stellas - sic erit semen tuum.* Gen. 15. 5. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 296. Notat posteros Abrahæ hic comparari stellis cæli: quia ex iis alii futuri erant sapientes, & sancti, cælestes, sublimes, & illustres; instar stellarum cæli.

*Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Psalm. 101. 15. Lapidés Sion, sunt Fideles militantis Ecclesiæ; firmi, & stabiles, in Christiana Fide: & nihilominus spe solidi, & persistentes, in charitate. Hi nimirum placuerunt servis tuis, hoc est, sanctis Ecclesiæ triumphantis. Gerfon hic.

Gggg 3

F. usq. à